UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Matthaei Tympii Aureum Specvlvm Principvm, Consiliariorvm Ivdicvm, Consvlvm, Senatorvm, Et Aliorvm Magistratvvm Cvm Ecclesiasticorum tum Politicorum omnium

**Tympe, Matthäus**

**Coloniae Agrippinae, 1617**

84 Ieiunijs Deo seruire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52641

Visual Library

cialibus eſſe comitatum Principis etiam nimis
parci.

---

## SIGNVM LXXXIV.

### *IEIVNIIS DEO SERVIRE.*

*Ieiunijs Deo ſeruire.*

1. IVſtinianus Imp. omnibus illis diebus, (inquit
Procopius *de ædif. Iuſt. Imp. lib.* 1.) qui Paſcha-
lem ſolennitatem præcedunt, ieiunio addictus,
diuam quandam vitam egit, nedum Regi alie-
nam; ſed neque priuato alicui aliquo modo ac-
ceptabilem: per duos dies cibis abſtinebat, ſum-
mo manè identidem è lecto conſurgens Reip.
inuigilauit, cuius negotia verbo & opere per-
tractans, matutinum, meridianum, & non mi-
nus nocturnum tempus impleuit. Nam in ſe-
ram noctem lectum petens, mox ſurrexit,
quaſi plumarum pertæſus; cibi appetens, vi-
num, panem, & alia id genus cibaria abeſſe
voluit, braſſicam ſolùm, & agreſtes herbas,
longo tempore ſale & aceto maceratas, ede-
bat; potus aqua erat ſola; neque his ad ſatu-
ritatem vtebatur, ſed petitum cibum pauliſper
deguſtatum mox dimiſit, non eo ſumpto, quod
naturæ ſatis erat. Hæc Procop. Hac auſteri-
tate ieiuniorum licet ægram valetudinem con-
traxit, teſte Procopio; tamen (iuxta illud 2.
Cor. 12. *cùm infirmor, tunc potens ſum*) eo modo
debilitatus corpore Perſas, Gothos, VVandalos,
& alios barbaros ſuperauit. Magnam ſe ex his ie-
iunijs fiduciam comparaſſe ipſe ingenuè profite-
tur, in *Conſtitut. edita de Proconſule Cappadociæ*:
Vbi hæc inter alia: (*Nouel.* 30.) Bonam ſpem
habe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

habemus, (quod Deus nobis annuat,) vt & cæte-ras gentes. quas ſocordia ſua Romani amiſerant, cùm vtriuſque Oceani terminos tenerent, ite-rum ditioni noſtræ adiungamus, quas nos, Diui-no freti auxilio, ad meliorem ſtatum redigere properamus: neque quicquam detrectamus eo-rum, quæ vel extremam pertingunt difficulta-tem, vigilijs ſimul, & inedijs, cæteriſque labori-bus iugiter pro ſubditis noſtris, vltra quam na-turæ modus patitur, vtentes, &c. *Vide Baron. An-no Christi* 34 vbi agit de ieiunijs ob Christi pa-ſsionem ſuſceptis, & *Tom. 7. Anno Christi* 517.

2. *Theodoſius Senior* de pio religioſoque cul-tu ſacri Quadrageſimalis temporis hanc legem tu-lit: Quadraginta diebus, qui auſpicio cæremoni-arum Paſchale tempus anticipant, omnis cogni-tio inhibeatur criminalium quæſtionum. (*L. 4. de quæſt. Cod. Theod.*) *Baron. Anno Christi* 380.

3. *Præmiſlum* maioris Poloniæ Ducem nemo ebrium, aut iratum vidit. Idem per tempus Qua-dragenarij Ieiunij cilicina veſte ſuper nudo cor-pus, & vino diluto admodum, aut inſipidiore ce-reuiſia vtebatur. Nocturnis temporibus, cum dormire putabatur, prolixæ precationi vaca-[bat]. Qua die Cœnam Christi vltimam anniuersa-[rio] ritu colimus, & repræſentamus, 12. pauperum pedes reuerenter abluere, exterſoſque deoſcula-ri, & pauperes ipſos veſtire quotannis ſolebat. *Cromerus lib. 9.*

4. *Carolus Magnus* ieiunijs etiam cum periculo valetudinis corpus ſuum exercuit. *Matius lib. [illegible] Vide Theatrum Vind. Diu. & Triumphum Virt.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN